

TRACTATUS
DE
LEGATO

Auctore

IOANNE A CHOKIER;
CANONICO ET VICARIO
LEODIENSI.

Cum Indice gemino, vno Capitum, altero Rerum maximè notabilium.

Ad Ser^{mum} Principem Electorem Coloniensem, vtriusq; Bauariæ
Ducem, Episcopum ac Principem Leodiensem, &c.



*Adm. Coloniensis
1724
H. J. P.*

*D. J. P. Co. Santa Spira
De la Baviere
1724*

COLONIAE AGRIPPINAE,
Sumptibus IOANNIS KINKII ad interfigne Monocerotis,
Anno M. DC. XXIV.





SERENISSIMO PRINCIPI

FERDINANDO

Dei gratia electo & confirmato Archiepiscopo Coloniensi, Sacri Romani Imperij per Italiam Archicancellario & Principi Electori, Episcopo & Principi Leodiensi, Paderbornensi & Monasteriensi Administratori, Hildesimensi, Berthesgandensi & Stabulensi, Comiti Palatino Rheni utriusque, Bauariæ, VVesphaliæ, Angariæ & Bullonij Duci, Marchioni Franchimontensi, Comiti Lossensi, Longiensi, Hornensi, &c.



OMPERTVM est Ser^{mo} Princeps, Domine Clementissime, Patrem illum familias Codicis Sacri, vineæ suæ fructus certis statisque temporibus ab operarijs suis requirere, ne si ignavia obrepat, pro vuis ferat labruscas. Quas ergò vineæ suæ mysticæ Leodiensi Ecclesiæ Vicariales operas Celsit. vestra

* 2

Ser^{mo}

IOANNIS ACHOKIER

ECCLESIAE CATHEDRALIS

LEODIEN. CANONICI

& Vicarij in Spiritualibus generalis.

Tractatus de Legato.

CAPVT. I.

*Legati definitio, legatio alia libera, alia Publica: ista Ordinaria, vel
Extraordinaria.*



LEGATUS est is qui à Principe publicè mittitur ad expediendum, exequendumuè id, quod ei mandatur: qui enim priuatim it, non legatus, sed Procurator, sed Internuncius appellatur, priscisq; eiusmodi legatio libera, quam ij tantum obibant qui priuatim, id est ob nego-

cia priuata proficiscebantur. *Caninius*, inquit Cicero, *familiaris meus* vir omnibus rebus ornatus negotiorum suorum causa, legatus est in *Aphricam* legatione libera, cum velim omnibus rebus iuuere, operamq; dos, vt quam commodissime sua negotia conficiat. Erantque sine procuratione, sine mandatis, imò sine legatitio, sine viatico, ideoq; nullis rationibus reddendis obnoxij erant. Quare, legatio quæ à Senatu sine Imperatore donabatur clarissimis viris titulo tenus ad res proprias, & priuatas gerendas nullo tempore & loco definita, veluti ad adeundas hæreditates sibi delatas, aut voti soluendi causa, aut ex alia, libera dicebatur, eaque lege xii. tab. sublata fuit: *Rei sua ergò*, inquit lex, *ne quis legatus esto*. Postea, lege Iulia definitum his legationibus tempus quinquennij: ac demum à Cicerone ad annum restrictum, ita enim inquit: *Omitto quamadmodum isti se gerant, aut gesserunt, qui legatione hæreditates, aut syngraphas persequuntur: Sed quæro, quid possit esse turpius, quàm sine procuratione Senator? legatus sine mandatis? sine vllò Reipub. munere? quod quidem genus legationis, ego Consul, quamquam ad commodum Senatus pertinere videatur, tamen approbante Senatu frequentissimo, nisi mihi *Leuinus Tr. plebis*, intercessisset, sustulisset, minui tempus, & quod infinitum erat annuū feci, ita turpitudine manet, diuturnitate sublata. Hæc igitur fuit libera legatio, quæ etiam honesta dicebatur: quæ (mandante *Tiberio*) vsus fuit *Agrippa*, quò Curia procul eliminaretur, teste *Tacito*. Porro de huiusmodi legationibus hic non agemus, cum illa exoleuerit*

Epist ad
famil.

idem A

Cic. de leg

Lib. 1. Ann.
nal.